

gerem psalmos David, cantica fidelia, et sonos pietatis
 excludens turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo
 catechumenus in villa, cum catechumeno Alypio feriatus,
 matre adhaerente nobis muliebri habitu, virili fide, anili se-
 curitate, materna charitate, Christiana pietate! Quas tibi vo-
 ces dabam in psalmis illis, et quomodo in te inflammabar
 ex eis, et accendebar eos recitare, si possem, toto orbe
 terrarum adversus typhum generis humani! Et tamen toto
 orbe cantantur, et non est, qui se abscondat a calore tuo.
 Quam vehementi, et acri dolore indignabar Manichaeis? et
 miserabar eos rursus, quod illa sacramenta, illa medicamenta
 nescirent, et insani essent adversus antidotum, quo sani esse
 potuissent! Velle, ut alicubi juxta essent, tunc ignorante
 me, utrum audirent, et me nesciente, quod ibi essent, in-
 tuerentur faciem meam, et audirent voces meas, quando
 legi quartum psalmum, in illo tunc otio, quid de me fece-
 rit ille psalmus; Cum invocarem te, exaudisti me, Deus
 justitiae meæ, in tribulatione dilatasti mihi; miserere mei,
 Domine, et exaudi orationem meam. Audirent, ignorante me
 utrum audirent: ne me propter se illa dicere putarent, quae inter
 haec verba dixerim; quia et revera nec ea dicerem, nec sic ea
 dicerem; si me ab eis audiri, viderique sentirem; nec, si dice-
 rem, si acciperent, quomodo tecum, et mihi coram te de fami-
 liari affectu animi mei, inhorru timendo, ibidemque inferui
 sperando, et exultando in tua misericordia, pater. Et haec omnia
 exhibant per oculos meos, et vocem meam, cum conversus ad
 nos spiritus tuus bonus, ait nobis: Filii hominum, quousque
 graves corde? ut quid deligitis vanitatem, et quaeritis men-
 dacium? Dilexeram enim vanitatem, et quaesieram men-
 dacium: et tu, Domine, jam magnificaveras sanctum tuum,
 suscitans eum a mortuis, et collocans ad dexteram tuam,
 unde mitteret ex alto promissionem suam Paracletum,
 spiritum veritatis; et miserat eum jam, sed ego nesci-
 ebam. Miserat eum, quia jam magnificatus erat, resurgens